



**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotioне boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

De lenitate Obedientiæ. Cap. 13.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](#)

*Surius in  
Janua-  
rio.*

tamen simpliciter obedierunt, curati sunt, Domino per hoc miraculum confirmante, quā ipse in obedientia cæca & simplici sibi complacat.

Eandem obedientiam quidam sanctus Abbas, cuius mentionem faciebat sancta Melania, à quodam, quem in discipulum admittebat, exegit: Accessit aliquando quidam (dicebat illa) ad magnum quandam senem, eius studens fieri discipulus. Is autem ab initio ostendens, qualem oportet esse discipulum, iussit, eum statuam, quæ propè stabat, quantum posset, verberare, & ei insultare calcibus. Postquam vero paruit adolescentis, interrogauit senex, an quæ pulsabatur, & calcibus impetrabatur statua, contradixerit aut ægræ tulerit. Cū is autem dixisset nihil facture eiusmodi, iussit eum rufus persecutere, & præter plagas eam etiam incellere maledictis. Postquam vero fecerit eadem, statua autem erat solùm inanima, & muta, tunc senex: Si quidem, inquit, tu quoque potes eadem sustinere, & nihil contradicere, quomodo nec hæc statua perpetuò probris affecta & contumeliis, accede, & nostra disciplina fruere: sin minus, ne te ad nostram conferas disciplinam.

*Liber. V.  
vita. cap.  
4.*

Beatus Pater noster I G N A T I V S, ut ipse antiquorum patrum imitator diligentissimus, eorum exempla claudat, hanc obedientiam cæcam sibi carissimam esse, non semel in suis scriptis exposuit. Et præter documenta admiranda quæ nobis consignata reliquit, hæc Petrus Ribadeneira discipulus eius dilectus scribit: Cū vero Praepositus esset generalis, aliquoties dixit, si summus Pontifex imperaret, vt ostio Tiberino scapham vel nauigium quodcumque primum inuenissem, clavo, malo, velis, remis, cæterisque armamentis spoliatum confundenderet, & ita absque vlo commeatu, mare traiceret, se id non solùm æquo sed etiam libenti animo facturum. Cū autem quidam summus vir hunc illius animum admirans, Ignatio diceret, quæ isthæc esset prudentia? Respondit Ignatius: Prudentia, domine, non tam est parentis, quā imperans. Hanc igitur obedientiam cæcam, quam ipse sibi in sponsam elegit, à nobis exegit, hanc in suis filiis vigore concepiuit. Non quia prælatos nostros ab errore semper immunes putemus, aut eis aliquam infallibilitatem tribuamus; quis enim hoc nisi stupitus cogitabit? Non vt eis, si quid adversum legi Dei iubeant, absque discretione pareamus, quoniam hoc non esset obedientia virtutem addiscere, sed propter traditiones hominum legem diuinam posthabere. Non vt ignorantiam eorum, quæ scire oportet, salutarem esse credamus, sed vt iuxta consilium Pauli ad sobrietatem sapianus. Ad quid ergo voluit in nobis obedientiam cæcam? Ad hoc fane: vt qui statu subditorum habemus, corde, & mente subiecti sumus, et viam humilitatis se ex animo subiunctionis fecerimus, ut ab inepta discussione superfidentes in pace & tranquillitate vivamus. Et tandem, vt qui perfectionem insequimur volumus, perfectam obedientiam, quæ iudicium prælati subiicit, & sine qua perfectio virtutum omnium haber non potest, a largitate Domini consequamur. Si quid autem in his exemplis factum narratur, quod ad tentationem Dei pertinere videatur, sciamus id non sine speciali instinctu Dei à viris obedientibus fuisse presumptum. Sine quo instinctu, absque temeritate, & peccato certum est fieri non potuisse. Deo autem specialiter mouente, & inspirante, aliquid huiusmodi effectum est, non vt nos sine tali motione diuina hoc genus facinorum inmetemur, sed vt vim perfectæ obedientiae, quam Deus miraculis confirmat, ad-

A miremur, & vt eam obtinere vir quisque perfectus nitatur.

### De lenitate Obedientie.

#### CAP V T XIII.



I R T V S obedientia tam rigida ac severa dominatrix religiosorum, vt nequam eorum, quæ imperantur, exequitione contenta voluntatem ab eis afferat, & quasi intellectum obuelet, & ab eo omnem discussionem auertat, simul suauissima est, atque lenissima, quæ nihil insolens à nobis perat, nihil nostræ naturæ contrarium exposcat. Non est semper in potestate nostra intellectum compescere, & rationes in oppositum eius quod iubemur non audire. Ali quando enim tam manifesta incommoda ex opere iniuncto sequuntur, quæ subditus videt, & prælatus omnino non aduerit, vt stultum esset ea non patere. Tunc ergo perfectio obedientia non exigit, vt taceamus, & nos insipientes, prælatum vero omnia scientem putemus, & vt sine villa mora pareamus, sed vt incommoda illa, aut impossibilitatem, quæ se offert, debita cum modestia manifestemus. Id perfectæ obedientie non aduerari, aperte sanctus Benedictus in sua regula concedit. Quod si frater, inquit, omnino virum suarum mensuram viderit pondus excedere, impossibilitatis sua causas, ei, qui sibi præfet, patienter & opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. ] Idem ferè eisdem verbis Bonaventura perfectioni consonum esse assertit. Quin & Pater noster Ignatius obedientia intellectus (si ita loqui licet) satis se verus exactor à nobis fieri permisit illis aureæ epistolæ verbis. Nec tamen idcirco vetamini, si quid forte vobis occurrat, à superioris sententia diuersum, idque vobis (consulto suppliciter Domino) exponendum videatur, quoniam id ad superiorum referre possit. ] Hæc autem scriptum postquam media ad obedientiam intellectus consequendam præscriperat, & obedientia cæca meminerat, vt hanc modestam obiectionem eorum, quæ in oppositum offeruntur, perfectæ obedientie nullo pacto contraria esse decernat. Quid enim si prælaus iussit vt hac eadem hora domo egrederer, vt pius negotium perficerem, & postea mandati prioris oblitus inungat, vt aliquid domi faciam, nonne debo illum iniuncti ante negotij monere, vt ipse videat, quandoquidem vtrumque simul præstare non possum, vtram rem velit nunc à me fieri, & aliam in futurum tempus protelari? Quid si iter longum, aut opus laboris plenum inungat, & nuper fui acri febre correpus, quam ille ignorat, an iustum erit audere, & post tantillum temporis viribus deficientibus à cepto defiseret? In his ergo euentis, & aliis similibus, laudabile est rationes maiori proponere, vt his auditis, liberum illi sit, aut nouo sermone nos virgere, vel certe ab onere imposito liberare.

Ad Deum quidem cuncta scientem solet humana imbecillitas incommoda sibi ex opere iniuncto prouenientia referre, & id sine villa sapientissimæ maiestatis iniuria, vt nobis persuadeamus, oportere fæpe homini nobis præposito, quæ repugnant executioni obedientiæ, declarare. Præcepit Ezechiel Dominus, vt panem suum, quem manducaturus erat,

*Reg. c. 63*

*Inspcri-  
to. p. 3. 6. 4*

*m. 1.*

Ezech. 4.  
14.  
Num. 15.  
Hieron. in Ezech.  
ad c. 4.  
Ahor. 10.  
13. 14.

erat, stercore hominis operaretur, ut Iudeorum calamitatē portēderet. At ille. A, a, a, Domine Deus. Ecce anima mea non est polluta, & morticinum, & laceratum à bestiis non comedī ab infantiā mea usque nunc, & non est ingressa in os meū omnis caro immunda. ] Non exacerbatus est Dominus Propheta verbis, sed mandatum suum lenire voluit. Ecce, ait, dedi tibi finū boum; pro stercoribus humanis, & facies panem tuum in eo. ] Ne putemus, inquit Hieronymus, Prophetam contradicere imperio Domini, sed causas reddere, immo deprecari, cur hoc facere non possit. Denique imperat quod roganit, & sententia austeritas mitiori imperio temperata est. Similem Petrus Apostolus obedientia difficultatem est passus. Cum enim illi oblatum esset, quasi linteum magnum ē cœlo submissum animalium immundorum plenum, dictumque ei esset, surge, Petre: occide & manduca. Ipse mandati difficultatem exposuit dicens: Abiit Domine; quia numquam maudiciū omne commune, & immundum. ] Nec solum semel eum rei immundæ repulit, verum & secundò & tertio se excusauit. Nam sequitur: Hoc factum est per te: & statim receptum est vas in cœlum. ] Quo ostenditur, perfectione obedientiae non obstat, si seruatis his, quae statim dictū sumus ibis, & ter mandati incommoda propoñamus. Hoc igitur obedientia non vetat, quia hominem ignoratio subiectum, loco Dei, superioriē habemus, qui nec potest cuncta scire, nec omnia incommoda, quae sequuntur ex mandatis, aduertere. Vnde iuxta suam voluntatem est, si quid inconvenientis ex mandato possit accidere, ut ei magna fiducia pandamus. Obedientia autem nullam iniuriam irrogat, & nec in minimo eius autoritatem attenuat, qui se ad prælati voluntate accommodat. Et quidem præpostore de se ipso, aut de prælato sentit, qui putat, semper in omnibus obediri, nihilque esse omnino ante executionem declarandum. Aut enim cogitat, prælatum numquā in his quæ præcipit, errare posse, quod manifesta dementia est: Aut existimat, se tali modo paritum, ut errorem superioris emenderet, & omnia incommoda sua dexteritate supereret, quod magna superbia est. Ac proinde, ne nobis, ait prælati nostris plus aequo tribuamus, necesse est interdum ante executionem mandati, aliquid quod nobis se in contrarium obtulit, modeſtē ad prælatum adducere, & post cognitam eius mentem, quod voluerit, actione præstare.

Hac autem generalis & vera doctrina quæ quibusdam vestibus ornanda est, ne aliquod synceritati obedientiae detrimētum importet. Primo enim non decet, in singulis, quæ iniunguntur, harere, & subinde difficultates obediēti pretendere, & ea quæ nobis non placent, variis incommodorum pretextibus refutare. Cui confutundi, aditum aperiāmus, nō veri obedientes, & propria voluntatis hostes, sed eius amici familiarissimi erimus, & omnis religiosæ disciplinæ contempnentes. Persuadeamus itaque nobis multa difficultia, & ardua, & sensualitati repugnantia, à maioribus esse iniungenda, quæ debemus tota mentis alacritate facienda suscipere, si nolumus ab obedientia lege exorbitare. Nec satis esse ad proponendum, si in his, quæ nobis præcipiuntur, difficultatem sentiamus. Ob idque aliqua narrat Scriptura admodum difficultia, & prima specie satis indigna Prophetis suis mandata, quibus illi statim sine vila contradictione paruerunt: ut indicetur religiosis, in rebus quoque arduis, & duris, debere se liben-

A lter prælati subiicere. Isaías vir erat apprime nobilis, ac de semine regio: quadam autem die dictum est illi à Domino: [Vade & solue faciem de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis:] ut feliciter tunicam faceam, qua induebatur, deponeret, & more vilissimorum hominum coram frequentissimo populo pedibus nudis incederet. Auditro hoc præcepto, quid facit ille? An statim hæsit, an rem illam sibi nobilissimo indignam putauit, an excusationibus se protexit? Nō certè, sed feci sic, vadens nudus, & discalecatus. O impigrā, & simplicem obedientiam! difficultatem præcepti animaduertit, sed difficultatem calcauit, & suum sensum abnegauit, ut Deo aliquid hac nuditate portendenti obediens exiliteret. Ezechiel quoq; qui immundiciā panis exhortuit, præcepti alterius sibi impositi difficultatem non extinxit, sed alacriter obediens. Imperatrum namque est illi, ut vinehus catenis dormiret super lapus finitrum trecentos & nonaginta dies, & ut ab uno latere in aliud non moneretur.

B Ille autem fecit quemadmodum iussus erat, in re que difficultissima obedientiam præstitit. Huius autem Prophetæ subiectio non in hoc tantum, sed in multis aliis laboriosis, & arduis probata est; de quo hæc scribit Chrysostomus. Fâme itaque ac siti pro alienis cruciabatur malis, vxoreque defuncta cum casam absque lacrymis perferte subebatur. Porro quid gravius dici possit, quām in suis aduersis calibus ne fere quidem permittit. Omitto enim modò quod super stercus bubalorum panem suum comedere coactus sit, & quod super vnu latus tercetum nonaginta diebus iacere, aliaque eiusmodi tolerare sit in influxu. Hæc ille. ] Quid vero de Osea castissimo, & sanctissimo Prophetā dicam, cui imperat est: Vade, sume tibi vxorem fornicationum: ] id est, impuram meretricem fornicationibus deditam. At ille tacēs, & omnino nihil opponens, abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim. Nec solum coniugium inuit, sed & consummavit, ex eaque filium ac filiam suscepit. Hæc & alia huiusmodi sunt in scripturis obedientiae difficultioris exēpla, in quibus Deus horribilia imperauit, & homo absque illa contradictione obediuit, ut compertum sit nobis solam rei difficultatem aut vilitatem rei mandata non esse sufficientem causam, ut statim rationes in contrarium, & inconvenientia queramus, nōsq; ab obediendo exoneremus. Immo in hoc alacritas & fortitudo obedientiae se ipsum ostendat, ut carni repugnantia, & per se ardua & maximè laboriosa, si fuerint iniuncta, suscipiat.

C At saepe in rebus, quæ imperantur, multa conspicimus bona gubernationi contraria, & non ex difficultate, aut repugnantia nostra, sed ex mera & efficaci ratione, quæ in contrarium obiicitur, quām nec possumus, nec debemus ab intellectu depellere, res iniuncta minimè executioni mandanda indicatur. Quid tunc faciendum? Tunc priusquam ad prælatum rationes tuas referas in oppositum eius quod tibi demandatur, ad Deum recursas necessis es: ab eoque enixē lucem efflagitabis, ut scias eius voluntatem agnoscere, & an expedierius sit raccere, & ad obedientium conari, an vero ad prælatum, quæ obiiciuntur, in contrarium referre. Coram Domino incommoda, quæ ex illa obedientia emergunt, considerabis, momenta rationum expades, quid te ad proponendum impellat, attente discussies. Sæpe in conspectu huic solis iustitia manifeste deprehendes te nō aliqua virgenti & honesta ratione ad loquendum incitari, sed amore proprio, aut affectu inordinato, aut certè repugnantia sensualitatis moueri: sed si præmissa oratione & in con-

Isaia, 20.  
2.

Ezech. 4.  
5. 6.

Chrysost.  
3. de Pro.  
udentia.

Osea 1. 2.

peccatum Domini iudicaueris, te non ex affectu inordinato, sed ex veris incommodis, que ex illo opere sequuntur, ad opponendum impelli, tunc secundum poteris, & sine periculo imperfectionis ad superiorem debitam cum modestia tuas difficultates referre. Id enim ex virtutibus obedientibus discimus, quos Scriptura sacra virtutum esse exempla commemorat. Quis Abraham obedientior? quis Deo in difficultibus quibusque subiectior? At hic aliquando diuinis decretis suam lenteiam opposituras, ab oratione sermonem incepit, & quasi facultatem loquendi postulans, dixit: Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis. Quid si minus quinquaginta iustus, quinque fuerint in civitate, & cetera. Ieremias quoque & ipse obedientissimus, aliam sic est questionem exorsus: Tastus quidem tu es, Domine, si disputerem tecum: veruntamen (pace tua) iusta loquar ad te. Exponam, inquam, que mihi offeruntur ad oppositum eius quod sit: [Quare via impiorum prosperatur,] & qua sequuntur. Sic & nos cum aliquid praelatorum mandatis voluerimus opponere: qua absque dubio si bonum continent, quasi mandata sunt Dei, debemus ad ipsum oratione recurrere, & quasi ad opponendum aliquid praelato, veniam postulare. Quam si Dominus sua inspiratione, & conscientiae nostrae attestatio concescerit, tunc confidenter posterius ad superiorem accedere, & nostras ei difficultates aperire.

Incomoda quae ex opere iniuncto sequuntur, praelato parefacta sunt, non media aut rationes ea incommoda superandi, nisi ipse rogauerit, aut id sibi esse gratum ostenderit. Documentum hoc subiuncto exemplo intelligamus. Iniunctum multis retro diebus cuidam religioso concionatori superiori, ut in die festo sanctorum Apostolorum Petri & Pauli apud quandam Ecclesiam cathedralem concionaretur, in qua ob magnam populi multitudinem, & nobilium ac virorum litteratorum frequentiam, gratu esse solet concionatoribus sermonem habere. Die autem ante vigiliam eiusdem festi, idem superior mandati prioris oblitus iniungit eidem concionatori, ut in eodem die sanctis Apostolis sacro apud moniales quasdam, extra urbem, ubi nullus erit auditorum concursus, concionem habeat. Duobus modis potest religiosus impossibilitatem horum maleditorum ad superiorem referre. Videlicet: Necesse erit ut Reuerentia vestra hanc concionem monialium alteri demandet, quoniam ego in Ecclesia cathedrali sum concionatus. Vel sic: Altera concio superioribus diebus mihi demandata fuit, videat R. V. quandoquidem vtriam eodem die & hora facere non possum, vtram earum sim factius. Ille prior proponendi modus imperfectus est, quia non tantum difficultatem obediendi retulisti, sed etiam (quod tibi concessum erat) verum & modum tibi gratum vincendi difficultatem aperuisti, quo tibi occupationem speciosorem eligis, & in alterum opus humilitatis, & abnegationis proprii iactare praelumis. Hic secundus modus est usque quaque perfectus, quoniam declarata impossibilitate vtrumque praelandi, in voluntate praelati relinquitur opus, quod nolles, vel tibi vel alteri demandare. Et fortassis ad cœnobium hospes accessit, vel grauior, vel eloquentior, cui melius erit Ecclesia cathedralis iniungere concionem, & te aliò concionaturum mittere. Huncque modum proponendi sores Lazari docuerunt, sic scribentes ad Dominum: Ecce quem amas, confirmatur. ] Notauit hic Augustinus urbanitatem nobilium seminarianum. Non dixerunt, inquit, veni: amanti enim

A tantummodo nuntiandum fuit. Non aula sunt dicere: veni, & sana: non aula sunt dicere: ibi inibe, & hic fieri. Nihil horum ista: sed tantummodo: [Ecce, quem amas, confirmatur.] Sufficit, vt noueris: non enim amas, & desieris. ] Ne ergo sis tu erga prælatum incivilis, & inurbanus, qui velis illum ad tuam voluntatem pertrahere, atraitionem gubernandi docere, sed propositis iniunctis ab eo actionis incommodis, modum occurrendi illis ab illo tu audias, non ipse a te, nisi (ut dixi) verbo aut signo, quid tibi videatur, exquirat. Eandem loquendi urbanitatem Deipara Virgo seruavit: erat enim prudentissima. Videlicet nuptias sine conuenienti potu; quid pauperius? coniunctione sine vino; quid tristius? sponsos sine facultate ad subueniendum; quid miserius? Accurrit ad filium opam datorem, laetitia largitorem, & miserabilium prouisorem, ut presenti indigentia subueniatur. Sed quibus verbis? his tantum: [vinum non habent.] Sciebat fatis esse filio benignissimo, si ei praefens necessitas proponeretur, nec decere verba multiplicare, & subueniendi indigentia nuptiarum, ratione aperi. Sciamus & nos quod ad eum recurremus, qui locum Christi gerit in terris, & tanta simplicitate, & fiducia, ei necessitatem nostram, aut incommodum aperiamus, ut ipse modus proponendi syncerus, & rectus, eum non exasperet, sed erga nos a morem conciliat.

Propositis superiori incommodis, quae ex obedientia sequuntur, aut rationibus, que in contrarium offeruntur, verus obediens riteat, & nec per se nec per alium superiorum virgere audeat, ut an res exequutioni mandata sit, aut potius omittenda, breuiter detegat. Sed expectandum est patienter, & omnis curia illum reuicienda, qui opportuno tempore fecerit nobis rationem obediendi exponere, aut à cura iniuncti operis liberare. Nec hoc, quod exterius præstatur, sufficit, nisi etiā semper a quo animo simus non solùm ad eam rem de qua agitur, vel suscipienda vel deponenda, sed etiam ut Beatus Pater noster Ignatius script, ad probandum rectiusq; putandum quicquid superiori placuerit. Si vero ab exequutione iniuncti operis absoluamur, propositum obediendi, & laborandi, si possemus, omnimodis retinere certus. Qui enim hoc sanctū propositum refuerit, licet Domino vaccā dulcis obediēt, aut bouē fortis subiectiōnis non offerat, at vitulū Domino gratissimum immolat. Vitulus sanè, inquit Richardus, ad iugum portandū nutritur, interim tamen ad ipsum non applicatur. Quod autem interim non portat, non est ex vitiō recalcaritationis, sed ex defectu possibilis. Si igitur obedientia non profiteris, non quia non vis, sed quia non possis: vitulum vides, & soluis. Quid enim intelligamus per vitulum, nisi obediendi propositū, quædammodū in bove & vacca obedientia exercitū? Si igitur vaccam, vel bouem offerre non potes, offer vel vitulum, quem cum integre volueris, ad manū habere potes. Certè si non potes habere obedientiæ officium vel vitulum, potes habere obedientiæ propositum, potes habere obedientiæ desiderium: & cum volueris, offerre potes eiusmodi vitulum. Sic ille p[ro]admodum omnia ad mythicos scripturæ sensus telet. Nos vero sic gradus sancte obediēt, concludimus, ut eum qui his, quae dicta sunt, feruatis, ab aliquo opere per superiorem imposito, se subduxerit, nullo modo aliquid contra obedientiam patrare patemus. Est enim obedientia virtus prudentissima, quae non vult cervicibus noſtis aliquid importabile ingum imponere, sed perpenitus viribus nobis ē celo donatis ad sanctos labores suscipi endos incitat.

Epist. n.  
19.Richard.  
de offi-  
cior. scilicet  
fici Da-  
vid &  
Abraha.